



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica**

**Geulincx, Arnold**

**Lugd. Batav., MDCLXXV**

§. 8. Ultimum Præmium Virtutis. Ipsa Virtus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](#)

si ex aliorum ignorantia honos ille defera-  
tur, eo nempe quod illi probum te existi-  
ment; jam honos non in te, sed in aliam  
aliquam personam, quem te sustinere pu-  
taverant, cadit.

§. 8. *Ultimum Præmium Virtutis.*

I P S A V I R T U S.

Cum vir bonus ita tandem penitus pa-  
catus, & tranquillus, & à turbis sua-  
rum passionum liber, totus jam vacat Ra-  
tioni, adeoque sapientiam sibi comparet,  
doctrinam & discipulos: ex acri illa &  
affidua contemplatione Rationis seu divi-  
næ legis, summopere crescit in eo amor  
Rationis seu divinæ legis, summopere  
crescit in eo amor erga Rationem; Ratio  
enim tam est pulchra atque divina, ut (quod  
vulgo de scientiis & artibus jactatur ada-  
gium) *neminem habeat inimicum nisi ignoran-*  
*tem.* Atque hic amor Rationis rursum est  
virtus (ut patet ex definitione Virtutis) at-  
que etiam ipsa virtus est inter sua Præmia,  
& quidem pulcerrimum maximumque sui  
Præmium, & merces ipsa est: quod &  
Poëta vidit, cum dicit:

*Ipsa sui merces rerum pulcerrima Virtus.*

g 5

Itur

Itur itaque divino prorsus & æterno curriculo de Virtute in Virtutem: felix qui se ipse & desideria sua omnia intra hunc circulum conclusit: & qui ideo tantum probus esse vult, ut semper magis magisque probus sit.

## §. 9. Pœna Peccati.

**N**on est una, sed quamplurimæ: omnes cur sint: & in genere hoc §. perstringemus.

Cum igitur peccatum non sit aliud quam amor sui, hinc nascitur primum in malis diligens auscultatio ad sua commoda & voluptates, & modos eos, quibus hæc comparari possunt, quæ sollicitudo seculi, (ut Christiani eam vocant) & respondet diligentiae: sicut enim diligentia est prima filia Virtutis, sic sollicitudo est prima filia peccati: hæc autem conjungitur cum magna tristitia & anxietate: tristitia quidem oritur ex eo quod bono suo, quod unice & tam impense amant (id est, sibi ipsis) tam multa deesse videant: anxietas vero, quod tam difficile videant esse supplementum omnium istorum defectuum, & quod cupiditates suas iam ægrè exsaturare possint: discunt enim expe-